

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9394

Auteur(s) : Guillaume de Passavant, Le Mans (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1145-1187]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume évêque du Mans authentifie et publie l'acte par lequel Henri de Hugoceon renonce à réclamer le prégaard à côté de la Frénouse, donné à Savigny par son beau-père Michel Gaard. Bien qu'il ait reçu des moines un cheval pour son désistement, Henri de Huechon ayant de nouveau fait valoir ses droits les moines lui ont versé 60 sous du Mans.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Arch. Nat., L 970, n° 495 et L 970, n° 496.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° LXV)

Texte d'après A

W. Dei gracia Cenomannensis episcopus universalibus fidelibus salutem. Quoniam contra malignatum improbitatem et vetustatis importunitatem veritas tutior conservari solet notum fieri curavimus quod cum Michael Gaardi antequam prolem genuisset pratum Gaardi juxta Fraxineam situm monachis Savigneii in elemosina intuitu pietatis in perpetuum dedisset cumque postea idem Michael de uxore sua duas filias genuisset et dominus rex primogenitam earum cum terra ejusdem Michaelis Henrico de Hugoceon (ou Huecon) in uxorem dedisset idem Henricus a supradictis monachis pratum illud requirens dicebat illud eis pignori fuisse obligatum non in elemosina datum tandem idem Henricus a monachis illis ut litem illam dimitteret requisitus accepit ab eis propter hoc equum unum pratum illud quod supradictus Michael eis in elemosina contulerat et de quo controversia inter eos vertebatur eisdem in perpetuum elemosinam donans et concedens promittens etiam quod ab uxore sua [Denisa] primogenita Michaelis illud idem faceret concedi. Postmodum autem cum ipse illius uxoris sue promissam concessionem executioni non mandasset et ipse de uxore sua filios et filiam genuisset post longi temporis elapsum ab eodem Henrico ad verus supradictos monachos mota questio et diu ventilata hoc fine coram nobis Lonleii terminata fuit monachi Savigneii eidem Henrico pro pace illa dederunt sexaginta solidos cenomanensium Henricus vero coram nobis pratum illud eisdem monachis in perpetua elemosina concedens et eam in manu nostra cum cultello fratris Ricardi de Savigneio ad opus monachorum Savigneii ponens in manu nostra fide corporaliter data firmavit quod decetero elemosine illius pro monachis illis omni controversie se opponeret legitimum defensorem nec decetero eos super hoc inquietaret nec inquietari faceret uxor etiam sua supradicti Michaelis primogenita in manu nostra fide data se hoc idem fideliter observaturam promisit elemosinam illam sepe dictis monachis per manum

nostram in perpetuum concedens. Hanc elemosinam Guillelmus eorum primogenitus qui tunc puer erat cui pro concessione illa duos denarios dedimus coram nobis eisdem monachis concessit. Quod ut fidelius in perpetuum conservetur ad preces memorati Henrici et uxoris sue et monachorum illud litteris annotari et sigillo nostro fecimus communiri. Huic facto interfuerunt Ivo magister scholarum, Herbertus decanus de Passeio, Radulfus archidiaconus Abrincensis, magister Ricardus Cadomensis, magister Ernaldus, Willelmus de Ferraria, Ranerius senescallus Domnefrontis, Willelmus de Hechie, Ricardus de Monte Scotis, Theobaldus Pichene, Willelmus frater ejus, Robertus de Jumilleio et multi alii.